

BVDARDVS PRAESVL PADERBORNENSIS.



Bvdardus in Saxonia magnis parentibus natus fuit. Itaque Carolus Magnus cum Saxoniam longo bello domuisse, eum quoque inter duodecim eius regionis obsides petit & accepit. Hunc S. Burckardo Herbipolensi præsuli educandum tradidit. Vnde cum sagaci ingenio esset præditus, in virum doctissimum & eius Ecclesiæ Canonicum evasit. Cum autem postea anno octingentesimo quarto, Harimarus præsul Paderbornensis mortuus esset, ipse omnium consensu in eius locum Episcopus electus est. Episcopus factus templum multò augustius quam prius ædificauit, atque in Galliam profectus S. Liberij &

Valleriani corpora secum retulit, & in sua Ecclesia collocauit. Ibi orando, canendo, legendo, & docendo reliquis exemplo fuit, atque cum S. Meinulpho omnia summo ordine administravit. Tandem cum magna laude per quadraginta octo annos rebus præfuisset, Anno 852 mortuus, & magna solennitate a suis sepultus est. Anon. Crantz.